

Objc. 8.^o Infinita distantia pertransiri nequit. Sed inter ens et nihilum est infinita quædam distantia. Ergo creatio, per quam hujusmodi pertransiretur distantia, repugnat.

Resp. dist. Major, Infinita distantia, quæ reale medium supponat inter extrema, successive pertranseundum, *trans*. Infinita distantia, quæ medium hujusmodi reale inter extrema non supponit, *neg.*

Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. *Entis et non entis simpliciter est aliquo modo et semper infinita distantia, non tamen eodem modo: sed quandoque quidem ex utraque parte infinita, sicut cum comparatur non esse ad esse divinum, quod infinitum est, ac si comparetur albedo infinita ad nigredinem infinitam. Quandoque autem est finita ex una parte tantum, sicut cum comparatur non esse simpliciter ad esse creatum, quod finitum est, ac si comparetur nigredo infinita ad albedinem finitam. In illud ergo esse, quod est infinitum non potest fieri transitus ex non esse; sed in illud esse, quod est finitum, talis transitus fieri potest, prout distantia non esse ad illud esse ex una parte terminatur. Quamvis non sit transitus proprie, sic enim est in motibus continuis, per quos transit pars post partem. Sic enim contingit nullo modo infinitum transire (1). Quare ista obiectio re vera procedit ex falsa imaginatione, ac si sit aliquod infinitum medium inter nihilum et ens, quod patet esse falsum. Procedit autem falsa hæc imaginatio ex eo, quod creatio significatur ut quædam mutatio inter duos terminos existens (2).*

Objd. 8.^o Omne ens reale vel est substantia vel accidens. Atqui creatio nec est substantia nec accidens. Non substantia; quia si foret substantia, vel esset substantia increata vel creata. Non increata, quia creatio est libera ac temporanea, non æterna; substantia vero increata est ens necessarium et æternum. Neque etiam est creata substantia, quia tum indigeret alia creatione, et hæc ob eandem rationem alia diversa; et sic abundum esset in infinitum. Deinde creatio non potest esse accidens, quia si esset accidens,

(1) S. Thom., *De Potent.*, quest. 3, art. 1, ad 3.^{um}

(2) S. Thom. 1 p. quest. 45, art. 2, ad 4.^{um} Cfr. Molina, in 1.^a part.; quest. 45, art. 3; Valentia in eundem locum.

jam opus haberet subjecto, in quo sustentaretur, atque adeo desineret esse effectio rei ex nihilo (1).

Resp. difficultatem hanc varie solvi ab auctoribus pro varietate opinionum circa naturam creationis. S. Thomas creationem considerat active, vel prout se tenet ex parte Dei, et passive, seu prout se tenet ex parte rei create. Sub prima consideratione censet creationem esse ipsam Dei substantiam, atque adeo aliquid increatum: sub altera autem consideratione esse relationem quamdam, ac proinde creaturam, late sumpta hac voce, quatenus comprehendit sub sua significatione quidquid a Deo est, non vero stricte sumpta voce, prout significat aliquid subsistens, quia in hoc sensu creatio potius, quam creata, concreata dicenda est (2). Verum hæc accuratius disputanda sunt in sequenti articulo, ex quibus patebit quomodo solvenda sit proposita difficultas (3).

ARTICULUS III.

In quo consistat actio creativa.

65. Exclisus erroribus circa realitatem et existentiam creationis, restat domestica, ut ita dicam, inter catholicos scriptores disputatio, eaque haud parva ardua, de natura actionis creativæ. Thomistæ cum S. Thoma, ut nuper inuebamus, creationem dupliciter considerant, active et passive. Et creationem active sumptam volunt esse in Deo, in quo est ipsa Dei essentia, prout importans relationem quamdam rationis ad rem creatam. *Creatio.....* inquit Aquinas, *si sumatur active, cum.... significet operationem divinam, que est essentia ejus cum relatione quadam; sic creatio est substantia divina* (4). Creatio vero passive sumpta est in ipsa re

(1) Cfr. S. Thom. 1 p. quest. 45, art. 3, arg. 1.^o et 2.^o; *de Potent.* quest. 3, arg. 2.^o 3.^o; 2.^o dist. 1 quest. 1, art. 2, arg. 5.

(2) Vide S. Thom., *de Potent.*, quest. 3, art. 3 ad 2.^{um} et 3.^{um}; 1 p. quest. 45, art. 3 ad 1.^{um} et 2.^{um}; 2.^o dist. 1, quest. 1, art. 2 ad 4.^{um} et 5.^{um}

(3) Plura require, si lubet, apud S. Thom. loc. citatis.

(4) S. Thom. 2.^o dist. 1, quest. art. 1, ad 4.^{um} Cfr. 1 p. quest. 45, art. 3 ad 1.^{um}; *de Potent.* quest. 3, art. 3 ad 2.^{um}

creata, in eaque importat realem relationem ad Creatorem. Si autem sumatur passivè, pergit idem Angelicus, *sic est quoddam accidens in creatura, et sic significat quamdam rem, non quæ sit in prædicamento passionis, proprie loquendo, sed quæ est in genere relationis, et est quædam habitudo habentis esse ab alio consequens operationem divinam: et sic non est inconveniens, quod sit in ipso creato, quod educitur per creationem sicut in subjecto: sicut filiatio in Petro, in quantum recipit naturam humanam a patre suo, non est prior ipso Petro, sed sequitur actionem et motum, quæ sunt priora. Habitudo autem creationis non sequitur motum, sed actionem divinam tantum, quæ est prior, quam creatura* (1). Hanc sententiam tuebantur Thomistæ (2), quibus adhæret e nostra Societate P. Gregorius de Valentia (3), et multi recentiores (4). Cæterum relationem istam putant Thomistæ, saltem multi, esse prædicamentalem, non vero transcendentalem, sicut docuit Scotus (5); item accidens a re creata distinctum realiter eaque posterius (6). Id quod videtur diserte docuisse S. Thomas: *Ille relatio accidens est, et secundum esse suum consideratum, prout inhæret subjecto, prius est, quam res creata; sicut accidens subjecto intellectu et natura posterius est; quamvis non sit tale accidens, quod causeatur ex principiis subjecti. Si vero consideretur secundum suam rationem, prout ex actione agentis innascitur prædicta relatio, sic est quodammodo prior subjecto, quæ, sicut ipsa divina actio, est ejus causa proxima* (7). Quo etiam spectat illa doctrina ejusdem S. Magistri: *Non...*

(1) S. Thom. loc. nup. cit. Cfr. 2.^a Contr. Gent. cap. 18, l. p. q. 45, art. 3 ad 2.^{am}; de Potent. quest. 3, art. 3, ad 2.^{am} et 3.^{am}

(2) Vide Cajetan. In 1.^{am} quest. 45, art. 3; Bañez in eundem locum; Ferraricens. In lib. 2. Contr. Gent. cap. 18; Gotti, Theolog. Scholat.-logmatica, tract. 8, De Deo Creatore, quest. 1, dub. 2, paragr. 4, n. XXII seqq.

(3) In 1.^{am} part. disp. 3, quest. 2, punct. 1.

(4) Ita v. g. Card. Mazzella (De Deo Creatore, disp. 1, artic. 2), Tongiorgi, Palmieri, Liberatore, Labousse (Cosmolog. n. 499 seqq.), Van der Aa (Prælection. Philos. Scholast., vol. 3.^{um}, prop. 57).

(5) Apud Cajetan. In 1.^{am} part. quest. 45, art. 3.

(6) Vide Cajetan et Gottium loc. cit.

(7) De Potent. quest. 3, art. 3 ad 3.^{am} Cfr. 1 p. quest. 45, art. ad 3.^{am}

est creatio mutatio, sed ipsa dependentia esse creati ad principium, a quo instituitur, et sic est de genere relationis: unde nihil prohibet eam in creato esse sicut in subjecto.... Apparet autem si creatio relatio quædam est, quod res quædam est, et neque increata est, neque alia relatione creata. Cum enim effectus creatus realiter dependeat a Creatore, oportet hujusmodi relationem esse rem quamdam. Omnis autem res a Deo in esse producitur. Est igitur in esse a Deo producta, non tamen alia creatione creata, quam ipsa creatura prima, quæ per eam creata dicitur; quia accidentia et formæ, sicut per se non sunt, ita nec per se creantur, cum creatio sit productio entis (nempe subsistentis); sed sicut in alio sunt, ita in aliis creatis creantur (1).

Cæterum quia relatio hæc re vera non spectat ad ipsam formalem rationem actionis creativæ, sed est aliquid ex illa resultans in re creata, patroni primæ hujus sententiæ solent etiam creationem reponere simpliciter in volitione vel in actu imperii divini, quo mundum tali tempore ac modo condere decernit. Creatio proinde est actio formaliter immanens, utpote cum ipsa divina substantia identificata. Quia vero id habet proprium ac peculiare ista actio, ut quamvis ipsa maneat in agente per purissimam ac perfectissimam identitatem, ponat tamen terminum extrinsecum, secus ac formales actus intelligendi ac volendi; dicitur esse actio formaliter immanens et virtualiter transiens, quia nempe virtus et efficacitas ejus transit exterius. Hinc sollemne est hujus opinionis adsertoribus dicere divinam potentiam vel volitionem esse quidem principium rei creatæ, non vero creationis: *Quia vero nihil, inquit Angelicus, est sui ipsius principium, cum divina actio non sit aliud, quam ejus potentia, manifestum est ex prædictis, quod potentia non dicitur in Deo sicut principium actionis, sed sicut principium facti. Et quia potentia respectum ad alterum importat in ratione principii, est enim potentia activa principium agendi in aliud, ut per Philosophum (Metaph. 6 text. comm. 17) patet, manifestum est, quod potentia dicitur de Deo per respectum ad facta secundum rei veritatem, non per respectum ad actionem, nisi secundum modum*

(1) S. Thom. 2.^a Contr. Gent. cap. 18.

intelligendi, prout intellectus noster diversis conceptionibus utrumque considerat, scilicet divinam potentiam et ejus actionem (1). Doctrina hæc potissimum innititur illi rationi, quod creatio, prout actio, non possit esse actio formaliter transiens. Quia hujusmodi actio cum sit accidens indiget subjecto in quo recipiatur. Atqui creatio excludit omne subjectum. Ergo impossibile est creationem esse actionem formaliter transeuntem; sed necessario esse debet immanens ipsi agenti, Deo. Et quia quidquid est in Deo, substantia est, creatio active considerata nequit esse accidens, sed ipsa divina essentia, prout relationem importans ad effectum actu a Deo procedentem de novo ac fluentem in tali differentia temporis. Utrum autem actio Dei sit essentia divina, prout formaliter est volitio vel imperium vel aliquid aliud attributum, pendet ex questione circa formalem rationem potentiae ad extra effectricis, quæ non est hujus loci.

aliorum
sententia.

Alii vero auctores satis multi negant creationem posse formaliter consistere in aliquo prædicato identificato cum ipsa Dei essentia, sed esse aliquid extra Deum. Et in eo fundantur, quod actio, ut actio, necessario debeat esse in suo termino, vel per identitatem vel alio modo: cum enim actio quoad rem ipsam non sit nisi dependentia vel emanatio effectus a causa, vel est ipse effectus, vel aliqua ejus affectio. Quare censent creationem *formalem* esse actionem formaliter transeuntem; solumque largiuntur creationem *virtualem*, seu virtutem creandi, et quidquid spectat ad principium et actum primum creandi, esse Deo immanens cumque ejus essentia prorsus identificatum. Sed in duas mox scinduntur hi auctores sententias. Quidam enim putant creationem quoad rem ipsam esse ipsum terminum creatum, a quo sola ratione discrepet, quia est terminus ipse consideratus cum respectu ad Deum, prout actu fluens ac dependens ab eo. Quam sententiam tribuit Suarez (2) quibusdam veteribus Scholasticis, potissimum Nominalibus, eandemque postea secuti sunt PP. Gabriel Vazquez (3), Benedictus Pererius (4),

quæ in duas
alias dispartitur.

- (1) S. Thom. *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 10.
- (2) *Disput. Metaph.* 20, sect. 5, n. 6 et 10.
- (3) In 1.^{am} part. disp. 173.
- (4) *De commun. rer. omn. natural. princip.*, lib. 5, cap. 5.

Conimbricenses, (1) et Bernaldus Quiros (2). Alii demum docent creationem esse aliquid non sola ratione, sed ex natura rei, distinctum a termino creato: e quibus multi arbitrantur illam consistere in modo rei, sicut actio quævis eductiva prædicamentalis, de qua diximus in *Ontologia* (3). Ita existimant inter alios P. Molina (4), Suarez (5), Rhodes (6), Hurta- dus (7), Arriaga (8) et Lossada (9). Hi omnes alique volunt contra primam sententiam creationem formalem esse actionem formaliter transeuntem, eamque non sola ratione, sed modaliter, distinctam a termino, qua in re ab alterius sententiæ patronis discrepant.

In hac ardua controversia, ut quid mihi verisimilius videatur, aperiam, sit

66. PROPOSITIO 1.^a Creatio non est ipse terminus creatus.

Prob. Realis separabilitas duorum est signum distinctio- nis. Atqui terminus creatus potest dari sine creatione, per quam hic et nunc productus est. Nam terminus creationis potest esse duplicis generis: α) terminus qui solum per crea- tionem effici atque in rerum natura constitui potest, qualis est substantia spiritalis et materia prima: β) terminus qui per actionem eductivam potest, ac solet connaturali modo produci, quamvis hic et nunc per creationem, interveniente miraculo, efficiatur. Sicut enim v. g. quantitas panis et vini in Eucharistia conservatur a Deo sine substantia, actione videlicet de genere suo creativa, potuit etiam procul dubio produci sic a Deo ab initio per miraculum. Et ita etiam communissime censent AA. posse formas substantiales ma- teriales, quæ secundum naturalem ordinem educuntur de

Creatio non est
ipse terminus
creatus.

- (1) *Physicor.* lib. 8, cap. 2, quæst. 1, art. 3.
- (2) *Tract. 3 Physicor.* disp. 62, sect. 1, n. 7.
- (3) Num. 347.
- (4) In 1.^{am} part. quæst. 45, art. 3. Cfr. quæst. 25, art. 1.
- (5) *Disp. Metaph.* 20, sect. 5.
- (6) *Philos. perip.*, lib. 2, disp. 6, quæst. 1, sect. 1, paragr. 2.
- (7) *Physicor.*, disp. 12, sect. 3.
- (8) *Physicor.*, disp. 9, sect. 4.
- (9) *Physic.*, trat. 3, disp. 1, cap. 3.

potentia materiæ, creari per virtutem divinam, seu effici absque ullo concursu materialis causæ. Jam vero plane liquet creationem, qua hujusmodi termini per miraculum creantur, non identificari cum iisdem; siquidem possunt hi cum eadem prorsus entitate esse in rerum natura, quin creentur. Ex quo videtur idem probabiliter concludi posse quoque de aliis terminis, qui non nisi per creationem produci queunt. Nisi enim velis plures specie diversas creationes admittere, de omni generatim creatione idem dicendum est, quod de creatione terminorum educibilium ratio facta persuadet, nimirum illam esse aliquid a termino ipso creato distinctum. Idem probari potest supposita eorum sententia, qui existimant, non repugnare instrumentum creationis. Quod si verum est, verum quoque erit, terminos ipsos, qui natura sua exigunt creari, nec possunt existere nisi per actionem creativam, quamvis de facto solum a Deo creentur, posse tamen absolute loquendo a Deo creari medio instrumento. Atqui si eadem ipsissima entitas duplici modo creationis creari potest, creatio profecto non identificatur cum entitate creata, quippe quæ potest existere utrolibet modo. Ergo creatio nec cum ipsis terminis creabilibus penitus re identificatur. Fateor tamen propositionem minus certam esse relate ad hujusmodi terminos, qui solum per creationem existere queunt.

67. PROPOSITIO 2.^a Creatio, prout actio est, non videtur esse modus, neque aliquid medium inter Deum et rem creatam.

Una ratio, quæ me movet ad excludendam tertiam ex relatis sententiis est ea, quam superius innui. Et in primis quod creatio non sit entitas aliqua absoluta, sive substantialis sive accidentalis, facile patet; quia ipsamet egeret sua creatione distincta, et sic abundum foret in infinitum: quod totum facile concedunt adversarii, et propterea reponunt creationem in modali entitate. Verum hæc etiam non minus difficilis apparet. Nam modus ille vel reciperetur in Deo, vel in termino creato. Non in Deo, utpote qui est actus purus et incapax aliquid recipiendi. Nec in termino creato, quia creatio est aliquid, sin minus tempore, quodammodo natura

Creatio non est entitas aliqua media inter Deum et rem creatam, sive absoluta,

sive modalis.

prior illo: non quidem stricte natura prior, quia actio proprie non est causa effectus producti, sed ordine certe rationis; nam ut ipsimet adversarii fatentur, et omnes concipiunt, creatio est via ad terminum, ideoque illum aliquo modo præcedit. Quomodo ergo poterit pro illo priori, in quo nondum concipitur terminus, in eo recipi creatio? Itaque quoniam modus omnino exigit subjectum, in quo recipiatur, nec est, in quo recipi possit creatio active considerata, si sit aliquid medium inter Deum et rem creatam; dicendum est creationem revera modum non esse. Probatio ergo non desumitur, ut vides, ex generali conditione ac natura divinæ actionis, qua de re suo loco agendum erit; sed ex peculiari repugnantia, quæ videtur esse in eo quod creatio sit modus aliquis realis ab ipso termino creato distinctus, quidquid sit de illa controversia, utrum omnis actio ad extra in Deo identificetur cum ipsa ejus essentia, et repugnet Deum agere actione, quæ sit modus in passo receptus.

Hujus ego argumenti nullam reperio solutionem, quæ mihi satisfaciat. Quidam apud Eximium Doctorem, concedentes creationem esse accidens modale dixerunt terminum ipsum esse subjectum illius modi; nam licet terminus, quatenus talis, sit posterior, tamen quatenus causa subjectiva, potest esse natura prior creatione. Sed, ut bene observat idem Suarez, «hoc ultimum difficile crediti mihi est; primo quia non existimo creationem habere causam materialem. Ergo neque habere potest causam subjectivam, sunt enim idem. Antecedens patet, quia hæc est potissima differentia actionis creativæ ab omnibus aliis, quod sit ex sola vi agentis sine concursu materiæ vel subjecti. Secundo quia non intelligo, quod terminus viæ possit esse prior ipsa via sub aliqua ratione includente realem existentiam, quod addo propter rationem finis, sub qua terminus est prior natura, quia causa finalis ut sic non prærequirit existentiam realem. At vero causa subjectiva intrinsece prærequirit existentiam realem. Ergo terminus non potest sub ea ratione præintelligi ordine naturæ suæ viæ, qui nullum habet esse reale, quod non per illam viam ad illum pervenerit» (1).

(1) Suarez, disp. *Metaph.* 20, sect. 5, n. 25. Cfr. *Ontolog.* n. 412 et 431.

Alii respondent actionem, ut actionem, non requirere subjectum inhæisionis, sed principium a quo fluat; quia actio ut actio non dicit habitudinem ad id *in quo*; sed ad id *a quo*: unde fit etiam ut actio prout talis non denominet passum, sed agens. «Verumtamen hæc responsio, pergit idem Eximius, licet de actione, ut actio est, satisfacere possit, tamen de creatione passiva, seu dependentia ut sic, adhuc restat difficultas, quia fieri ut sic non dicit habitudinem ad principium, sed ad rem, quæ pendet seu fit, et ideo de illa ut sic explicare oportet, in quo subjecto sit. Unde iterum urgeri potest difficultas de actione, nam licet actio ut actio non respiciat subjectum inhæisionis, tamen in re ipsa semper habere debet aliquod subjectum inhæisionis» (1).

In idem recidit etiam, quod Lossada (2) et alii respondent nihil ob stare, quominus creatio sit accidens, quia accidens ut sic non requirit «inhæisionem stricte talem, quæ scilicet sustentationem et causalitatem materialem importet, sed late sumptam pro inexistentia seu existentia in alio, quæ præscindit ab eo, quod sit in alio tamquam in subjecto sustentationis, vel adhæisionis, vel puræ informationis, atque ut ita præscindens, sufficit ad verificandum *est in se*. Ego vero concedo, quod quædam sint accidentia, quæ quia in sua physica entitate accidentia non sunt, sed substantiæ, solumque dicuntur accidentia, quia instar accidentium denominant subjectum, qualia sunt v. g. ea, quæ in prædicamento habitus continentur; re vera non postulant causam materialem nec subjectum sustentationis ad existendum. Et idem puto dicendum esse de quibusdam relationibus, supposita opinione, quam in *Ontologia* propugnauimus (3), nempe de omnibus illis relationibus, quæ fundantur in aliqua realitate substantiali. At nihilominus in omnibus huiusmodi accidentibus, quamvis entitas ipsa, quæ ad prædicamentum accidentis revocatur, esse possit in rerum natura sine subjecto; munus autem peculiaris accidentis exercere nequit, quin aliud prævie præsupponat ordine saltem rationis prius. Sic quomodo

(1) Suarez, loc. cit. num. 26.

(2) Loc. cit. num. 15.

(3) Recole scripta in *Ontologia*, n. 338 seqq.

potest vestis vel indumentum accidentalem denominationem *induti* vel *vestiti* præbere, nisi prius adsit subjectum, quod *induatur*? Item quæ quomodo potest humanitas præbere Petro et Paulo accidentalem rationem ac denominationem *similitum*, nisi antecedenter ad denominationem illam præsupponatur? Itaque in hisce exemplis nunquam contingit ipsum accidens esse viam ad subjectum in rerum natura ponendum: sed e converso. Atqui creatio est via ad terminum. Ergo creatio certe non est accidens e genere illorum, quorum exempla protulimus. Porro præter huiusmodi accidentia, quæ nempe in sua entitate physica sint substantiales entitates, nullum aliud ego novi, quod non egeat aliquo subjecto inhæisionis et sustentationis, saltem naturaliter loquendo; omne quippe accidens metaphysicum, seu quod in sua reali entitate non sit substantia, eget subjecto, cui inhæreat. Et nominatim actio prædicamentalis, quamvis ex nostra quidem sententia (1), non inhæreat ipsi subjecto, quod denominat, nempe agenti, habet tamen subjectum, scilicet passum, extra quod ne per divinam quidem virtutem existere potest. Et hæc quoque est communis lex modorum. Itaque vis argumenti facti minime, puto, infirmatur dicendo ad rationem communem accidentis non requiri inhæisionem stricte talem.

Tertio ergo respondet Suarez creationem dici posse modum quemdam substantialem rei, quæ creatur, qui reductive pertineat ad prædicamentum substantiæ, cum aliud non sit, quam substantia, secundum quod est *in fieri*, et quasi in statu imperfecto: unde quatenus illud fieri concipitur ut prius natura suo termino, non esse in subjecto, sed concipi quasi in se; in eodem autem reali temporis puncto conjungi cum termino, non tamquam subjecto sustentationis, sed alia speciali et propria ratione ut quemdam modum ejus, hoc enim commune est multis aliis modis, ut habeant propriam rationem efficiendi, ut constat de modo unionis et de modo subsistentiæ (2). Verum neque his etiam acquiescere possum: primo quia etiamsi reliqua omnia darentur,

(1) Vide *Ontolog.* n. 355 seqq.

(2) Suarez, loc. cit. n. 17.

doctrina hæc solum valere posset pro substantiarum creatione. Quis enimvero dicat creationem miraculosam accidentium, v. g. quantitatis extra subjectum productæ, esse modum substantialem? Creatio ergo in universum non potest esse modus substantialis; sed si vera est doctrina, quam impugnamus in hac propositione, admittenda erit creatio, quæ sit modus accidentalis, qui proinde non poterit subsistere in se, verum necessario egebit subjecto, a quo sustentetur. Deinde si modus creationis, sive substantialis dicatur sive accidentalis, est ipsum *feri* termini, quæro, num istud *feri* re distinguatur a termino, necne. Si non distinguitur, poterit quidem creatio secundum rationem concipi tamquam aliud ab ipso termino, re tamen vera non poterit esse modus ejusdem realis. Si autem distinguitur, remanet explicandum, in quo recipiatur modus ille. Ego enim intelligere non possum modum, præsertim accidentalem, qui in se ipso recipiatur, et non in aliquo subjecto, quod proinde non aliquo modo præsupponat, sive interea ab eo causetur materialiter, sive non: resque videtur patere in ipsis exemplis ab Eximio Doctore adductis. Nam unio ipsa substantialis, fatentibus omnibus, ab aliquo subjecto recipitur, ac sustentatur, ut inferius videbimus, quamvis disputent auctores, quodnam sit illud, materiane sola, an materia simul et forma. Et eodem modo subsistentiæ modus præsupponit naturam: quamvis enim quidam putent naturam ad rationem suppositi comparari, non tamquam causam materialem vel subjectum sustentationis ad formam sibi inhærentem, sed tamquam terminabile ad suum terminum (1), difficile tamen est concipere, quomodo subsistentia non præsupponat ordine quodam naturæ substantiam, sicut generatim alii modi suum subjectum præsupponunt; pendent enim ab illo in *feri* et in *esse* ita, ut nullo alio pacto fieri aut esse possint. Donec ergo urgeat gravissimum aliquod argumentum, inducendus non est modus iste creationis; sed aliter res videtur esse explicanda.

(1) Qua de re vide Suarez, disp. *Metaph.*, 34, sect. 6, n. 20.

68. PROPOSITIO 3.^a Creatio videtur esse ipsa divina essentia prout relationem importans ad effectum de novo fluentem ac dependentem a Deo (1).

Probatur per exclusionem. Nam vidimus in aliis rei applicationibus gravissima existere incomoda; in hac autem nulla videtur occurrere nova difficultas, quæ non æque premit satis communem doctrinam in extricando nodo libertatis divinæ. Et re quidem vera fortissimum omnium argumentum contra propositam sententiam hoc solet objici: Divina essentia (vel volitio, vel imperium, vel omnipotentia) est æterna. Ergo si creatio cum illa identificatur, æterna pariter dicenda erit. Atqui de Fide est creationem temporaneam esse. Ergo creatio nequit in ullo prædicato vel attributo cum divina essentia identificato reponi (2). Argumentum hoc, si sermo esset de actione subjectum habente, moveri posset aliquid ad asserendum modum et a Deo et a termino producto distinctum. Cum autem creatio careat prorsus subjecto; aliter declaranda rest est, et mea quidem sententia declarari potest aliquo modo per analogiam ad actum divinum liberum. Si enim actus liber in Deo unus idemque re est cum necessario, a quo differt in diverso modo, quo terminum suum respicit, quia nempe necessarius ita respicit illum, ut non possit non respicere, liber autem indifferenter illum respicit atque ita, ut potuerit etiam non respicere, idque totum procedit ex divinæ naturæ infinita eminentia; simili modo dici poterit eandem essentiam Dei tante esse efficacitatis, ut absque ulla virtute et actione superaddita faciat effectum existere, quando vult, et quomodo vult. Et ita ineffabilis illa essentia, quæ prout consideratur tamquam principium operandi est virtus vel omnipotentia; prout respicit terminum, qui prius non existerat, nec poterat omnino ex suis meritis existere, primum de novo fluentem ac dependentem in *esse* a Deo, recte concipitur tamquam creatio illius termini in tali

Creatio videtur esse ipsa divina essentia, prout relationem importans ad effectum de novo fluentem.

(1) Iterum moneo nos hic præscindere a questione de formali ratione, in qua consistat potentia divina vel principium effectivum. Controversiæ hujus solutio necessaria non est in presenti materia, ideoque melius ad alium locum opportunioram amandatur.

(2) Vide Lossada, loc. cit. n. 7.

differentia temporis. Et sic creatio active considerata duo illa complectitur, quæ superius ex S. Thoma retulimus, essentialiter divinam et respectum quemdam ejusdem ad effectum actu procedentem. Essentia enim sola non sufficit ad creationem intelligendam, essentia enim æterna est ac necessaria, creatio autem temporanea et libera; et propterea necesse est addere relationem illam rationis ad terminum, quæ quia non potest concipi, nisi cum actu fluit a Deo terminus, et incipit existere, ideo creatio quamvis cum essentia divina identificetur, non potest adæquate spectata dici simpliciter æterna. Et similiter Deus nequit dici ab æterno Creator vel Gubernator, etc., mundi.

Nec valet dicere relationem rationis, utpote quæ nihil re vera est, non posse quasi constituere et complere creationem divinam: itemque relationis hujusmodi aliquod assignandum esse fundamentum, in nostra vero sententia, quæ creationem identificat cum natura, nullum re vera assignari fundamentum.—Nam quamvis nihil, quod sit pure rationis, possit quasi constituere creationem divinam, quæ res realissima est, potest tamen inservire nobis, ut per illud aliquo modo intelligamus aliquid, quod aliter nullatenus possemus intelligere: id quod novum non est aut peculiare in creatione, sed in aliis quoque divinis attributis evenit, ut ea non possumus concipere et explicare, nisi ope relationum quarundam rationis, quæ Deo attribuuntur. Id enim proprium est humanæ imbecillitatis, ut nequeat divinam Majestatem contemplari, ac perspicere, prout in se est, sed per imagines finitarum rationum conetur aliquo modo rimari quasi in speculo et ænigmatè. Quia igitur in creatis videmus inter agens et effectum propter actionem intercedere relationem, non possumus essentialiter divinam ut createm, nec ipsam creationem, intelligere, donec concipiamus respectum quemdam ad terminum. Fundamentum autem hujusmodi relationis assignare necesse non est, tum quia in relationibus rationis non est, cur sollicitè investigemus fundamenta; tum quia exemplum actionum creaturarum, quæ fundant mutuam inter agens et effectum relationem, sufficit ut creationem instar relationis concipiamus; tum etiam quia terminus creatus statim incipit habere ad Deum relationem realem dependentiæ,

quia creatur a Deo; unde pronum est, ut intellectus noster, quemadmodum facit in aliis relationibus non mutuis, etiam in Deo creante, et quatenus creante, relationem ad rem creatam fingat; tum denique quia forte ipsum divinum imperium ac decretum creandi aliquid in tali temporis puncto, satis est, ut summum illud et ineffabile Ens, de quo est scriptum: *Ipsè dixit, et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt*, etiam absque ulla actione reali superaddita concipiamus, ut habentem relationem actualem ad creaturam pro determinato illo momento. Jam enim ostendimus actionem superadditam et ab ipso Deo ac termino creato distinctam minus nobis probari gravissimaque premi difficultate.

Argumenta quæ contra hanc sententiam obijciuntur haud ægre possunt ex dictis dissolvi.

69. Et hæc de creatione active considerata sufficiunt: ex quibus patet creationem non esse actionem prædicamentalem, sed longe excellentiorem et vere ineffabilem: quæ cum immanentibus id habet commune, ut sit in agente, et quidem perfectissimo modo, nempe per identitatem; transeuntibus autem in eo assimilatur, quod ponat effectum extra agens. Quare recte dici potest actio formaliter immanens ac virtualiter transiens.

Creatio dici potest actio formaliter immanens et virtualiter transiens.

Creatio passive sumpta videtur esse ipsa dependentia, quam omnis res creata habet a Deo tamquam a sua causa. Dependentiæ hæc realem importat relationem rei creatæ ad Deum: quæ relatio utrum transcendentalis sit, an vero prædicamentalis, et utrum realiter identificata, vel distincta ab ipsa essentia creaturæ, disputari potest. Sententia S. Thomæ, ut superius notavimus, est prædictam relationem realiter distinctam ac prædicamentalem esse, ac fundatam in actione divina, similem illis, quæ in naturalibus effectibus causarum secundarum, v. g. in filio ad suos parentes, cernuntur. Quæ sententia eadem puto firmari posse ratione, qua nuper in prima propositione ostendimus creationem non esse aliquid re identificatum cum termino creato.

Creatio passive sumpta videtur esse ipsa rei creatæ dependentia a Deo: quæ realem relationem importat.

omnino et mente Angelici prædicamentalem.

Dices. «De essentia creaturæ est, ut pendeat a primo ente. Ergo dependentia qua pendet... non est aliud ab ejus essentia. Hæc autem prima et essentialis dependentia entis participati ab ente per essentialiter, est creatio. Ergo creatio...

non magis potest a creatura distingui, quam essentia uniuscujusque rei ab ipsa. Primum antecedens evidens est, quia sicut de essentia primi entis est esse per essentiam, et consequenter esse a se, et non ab alio; ita de essentia omnis alterius entis est, esse ens per participationem, et consequenter esse dependens ab alio. Prima vero consequentia probatur, quia dependere est aliquid intrinsicum; convenit autem per dependentiam» (1).

Respondeo duobus modis intelligi posse creaturam esse ens essentialiter pendens a Deo: uno modo, quod ipsa actualis dependentia sit de essentia creaturæ, et sic non est verum, nisi de sola ipsa dependentia actuali, quam constat esse suammet essentiam. Ipsa vero non est de essentia ejus creaturæ, cujus est accidens. Et in hoc sensu procedit totum illud argumentum, quod proinde nihil concludit. «Alio ergo modo intelligendum est creaturam esse ens essentialiter pendens a Deo, quia nimirum est ens talis naturæ et essentia, ut sine aliqua dependentia a Deo existere non possit. Et hic sensus est verissimus, probaturque optime ex natura entis participati. Inde vero non fit ipsam actualem dependentiam esse de essentia, sed solum conditionem seu imperfectionem illam, ob quam talis natura eget dependentia, esse essentialem. Quod patet, quia licet sit de essentia creaturæ, ut pendeat a Deo, non tamen ut pendeat a solo Deo, aut quod idem est, ut pendeat per dependentiam dicentem habitudinem ad solum Deum, quamvis etiam possit per talem dependentiam sufficienter pendere. Ergo non determinat sibi essentialiter certam dependentiam, sed solum conditionem aut indigentiam dependentiæ» (2). Simili modo, ut constat ex dictis in *Ontologia*, quodlibet ens creatum postulat aliquam determinatam ubicationem habere, nullam tamen sibi essentialiter determinat.

(1) Apud Suarez, disp. *Metaph.* 20, sect. 5, n. 8, ubi plura require.

(2) Suarez, loc. cit., n. 32, ubi plura videnda in sequentibus.

ARTICULUS IV.

De ordine et processu creationis.

70. Hactenus factum dumtaxat creationis demonstravimus, atque in tuto collocare conati sumus contra nefarios ausus impietatis. Nunc videndum est, quid possit verisimilius de ordine mundanæ creationis generatim statui: mirum enim est, quantum *Cosmogoniæ* scriptores non pauci abusi sint ad irridendam Mosaicam narrationem, et ad labefactandam, si fieri posset, revelatam veritatem. Ferendum autem non est, ut id quidam faciant nomine, ut ipsi dicunt, *scientiæ*. Non enim vera esse potest, sed fucata scientia vel potius impudens garrulitas, quidquid humana insipientia contra divinam veritatem temere effudit; quemadmodum vel ipsimet talium commentorum architecti vel alii scientiarum studiosi factis sæpissime ostenderunt, eadem ipsa dogmata reprobantes, quæ prius tamquam certissima scientiæ pronuntiata jactata fuerant atque propugnata.

Veritas revelata circa mundi creationem fere continetur in primo *Genesis* capite et in tribus versibus capitis secundi: quo in loco dicitur creasse Deus in principio *cælum et terram; terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi; et Spiritus Dei ferebatur super aquas* (1). Ac mox describit sacer scriptor singillatim cunctarum rerum corporum per summa capita fabricationem, sex diebus distributam, in quorum primo dicitur Deus produxisse lucem; in altero divisisse aquas superiores ab inferioribus; in tertio condidisse regnum vegetale; in quarto solem, lunam et stellas, in quinto pisces et volatilia; in sexto bestias terræ, ac tandem hominem creasse. Verum quia Moysi propositum non erat scientificum cursum *Cosmogoniæ* tradere ad explendam intellectus humani curiositatem, sed Deum unum docere, auctorem, ordinatoremque mundi, et providum ac sapientissimum gubernatorem et dominum omnium; frustra

Reprobatur
impia temeritas
mosaicam
narrationem
respuentium.

Summa eorum,
que sacra
pagina
docet
circa ordinem
mundanæ
creationis.

Scopus
mosaicæ
narrationis;

(1) *Genes.* cap. 1, v. 1-3.